SEBASTIANI PAULI
LUCENSIS

CONGREG. MATRIS DEI

SAC: CÆSAREÆ CATH. MAJEST.

CAROLI VI.

A. P. F.

IN REGNO NEAPOL. HISTORICI

DE NUMMO AUREO VALENTIS IMP.

DISSERTATIO,

In quâ, & de C. Cejonii Rufii Voluſiani Præfecturâ, & Gente fuſiùs diſſeritur:

Ad Illuſtriſſimum, Excellentiſſimumq; Virum

JOH: ANTONIUM
BOXADORS

NAZ. ROM. VITTORIO

COMITEM DE SAVELLA',

AUREI VELLERIS EQUITEM, &c.

LUCÆ MDCCXXII.

Typis Sebaſtiani Dominici Cappuri

SUPERIORUM PERMISSU.



Apud Apoſtolum Zeno

EA eſt, PRÆSTANTISSIME DOMINE, veræ, nec fucatæ virtutis conditio, ut quæ imperitorum hominum, vulgique rumoribus impune jactatur, hæc Principum potentumque Virorum amorem in ſui prœmium, ac tutamen alliciat, cœteroſque omnes, quibus cor ſanum in ſui trahat obſequium, ac vel invitos reluctanteſque devinciat. In cujus rei Vadem nullum alium, quàm temet, tuamque virtutem advoco, quippe qui morum integritate, fidelitate, conſtantiâ, aliiſque animi tui dotibus AUGUSTISSIMUM, INVICTISSIMUMQUE CÆSAREM NOSTRUM CAROLUM eò adduxiſti, ut Te peculiari benevolentiâ jamdiu ei gratum, ſed inſitâ quadam moderatione nil hujuſmodi cogitantem, ſupremo honore proſequeretur: ac regio illi nobiliſſimoque AUREI VELLERIS Ordini accenſeret. Sapientiſſimi æquè, ac munificentiſſimi Principis delectui calculum addidere ſuum æqui bonique æſtimatores omnes, qui inſigniorum hominum merita,

quandoque negligi, non rarò aliorum munificentiâ deſtitui jure equidem indignantur. Inter hæc autem angebar ego [cujus animum à Te accepta beneficia quantò uberiora tantò vehementius ad aliquam gratiæ profeſſionem impellebant] quod puris tantùm, putiſque verbis delatam dignitatem gratularer, & infirmis viribus nil ſuppeteret, quod in devicti animi mei perenne tributum ſiſtere potuiſſem. At bonis avibus factum mihi nummum quendam aureum, quem maximi vocant moduli, offerri ab *Apoſtolo Zeno Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Hiſtorico*, & cui tu in ultimis adhæres, addito inſuper conſilio, ut perrarum illud antiquitatis monumentum, quod è ruderibus emerſum vulgares hucuſque trivere manus, aliqua ingenioli mei explicatione illuſtrarem. Statim ac igitur laudatiſſimi Viri preces, quibus ſupremæ illius, regiæque voluntatis graviſſimum pondus acceſſit, fregere animum, nil antiquius duxi, quàm ut adornandam diſſertatiunculam, qualiſcumque ea fuerit, Nomini tuo nuncuparem; Tuiſque pedibus munuſculi cujuſdam loco proſternerem. Cui enim meliùs hæc placitura ſunt quàm Tibi, qui perpetuò in hoc unum incumbis, ut univerſæ eruditionis ornamenta complectaris? Et cuinam meliùs levidenſe hocce munus acceptum fore crediderim quàm Tibi, cui quidquid offertur, ab offerentis tantùm, ea Tui eſt humanitas, probatur animo? Audaci igitur conſilio ſuffragium accedat tuum oro, obteſtorque; ſiquidem hæc eſt votorum meorum ſumma Tibi placuiſſe, nec tot

 tan-

tantiſque à te acceptis beneficiis ingratum videri. Cætera Deo curæ ſint: quem O. M. adprecor, ut te bonis artibus, boniſque promovendis ſtudiis natum longioribus ætatibus ſervet.

Nummus igitur, ut ad inſtitutum meum pergam, aureus eſt, maximique, ut mox dicebam, moduli, ſuoque Typo par pendet in lance aureis Ungaricis decem cum dimidio. Hunc hactenus eruditis omnibus ignotum conſtantiſſimè profitemur, unde ei ſummum ſingularitatis momentum accedit. In anticâ ſui parte effigiem VALENTIS Imperatoris exhibet, ſed rudi adeo, impolitâve cælaturâ, quemadmodum eæ omnes, quæ illius ætatis circumferuntur, ut cadentis Imperii, liberaliumque artium barbarorum oſcitantiâ neglectuque, in dies ſenſim corruentium fidem abunde faciat. Dexteram Imperator habet ante pectus deductam extenſis digitis, & Victoriolam alatam orbi inſidentem, eique coronam offerentem ſiniſtrâ manu ſubſtentat. Corpus armatum Imperiale pallium contegit, quod ad lævum humerum fibula de more complectitur. Caput triplex unionum cingulus ambit, cujus extremitates ad occiput pendent. Nummi peripheriam hæ literæ habent: D. N. VALENS MAXIMUS AUGUSTUS. In averſâ Nummi parte Currus viſitur triumphali pompâ inſculptus, duabus innixus rotis, quem Imperatoris effigie onuſtum terni hinc inde Equi trahunt. Et hæc paludata dexteram exertam expanſiſque digitis refert, ſiniſtram Orbe premente. Ilia faſcia quædam, & Nimbus, quem

vo-

vocant, caput circumdat, volitantibus hinc inde Victoriolis, ſuamque unaquaque Imperatori coronam exhibente. Epigraphem reddit: D.N.VALENS VICTOR SEMPER AUGUSTUS. In infimâ nummi parte acervi quidam monetarum, & donaria Populo diſtribuenda viſuntur, media inter literas *R* & *M*. Quas in hujuſmodi poſitas loco nil penitus ſignificare, niſi fortaſſe Artificum nomen, vel Monetariorum Tabernas contendunt Eruditi: inter quos Duchangius, & Spanhemius: quanta nomina Deus bone! Solus Harduinus talium notarum Oedipum agere ſibi ſuaſerat. Sed quæ non ſomniavit monſtra Vir alioquin doctus?

His præhabitis, ad expiſcandum modò Nummi tempus occaſionemque, ob quam cuſus fuit, gradum facere oporteret: præeuntibus ferè omnibus, qui ſimilia concinnarunt. Sed quoniam in Nummo nulla additur vel Conſulatus, vel Tribuniciæ Poteſtatis nota (id enim ea non ferebant tempora) à qua Nummi ætas eruatur, fuſiori ſanè id indiget parergo, noſque ad calcem Diſſertationis ablegandum duximus. Hìc tantum annuiſſe ſufficiat Nummum ad annum à Chriſto nato 370 eſſe admandandum, cum ſcilicet VALENS Victor Gothorum, & Procopii Chalcidis Tiranni Conſtantinopolim primùm rediit triumphanti ſimilis. Quod ſuo loco probabimus, nunc reliquas Nummi partes breviùs explicaturi.

Primo autem loco obſervanda veniunt illa DOMINUS NOSTER, quæ ſibi tribui *maledicti*

& op-

& opprobrii inſtar renuit Auguſtus teſte Svetonio in Aug., & Tertulliano Apologet. Cap. 33, quamvis eum ſic appellatum legamus apud Dionem Lib. 11., & Joſephum de Bello Judaico Lib.1. Cap.1. Auguſto par Tiberius eodem teſte Svetonio. Sed ab Avi, & Proavi moderatione longè alienus Cajus, qui DOMINUS voluit appellari: quod & à Domitiano, & Trajano factitatum ſcimus. Sub Hadriano verò, & Antoninis nuſquam in antiquis monumentis DOMINI Titulus conceſſus: ſubindè verò factum in Severi Antonini Caracallæ, & ſequentium Imperatorum Inſcriptionibus. Quas vel Populi, vel Urbes eorum Majeſtati devotæ, hujuſmodi, vel non abſimili adulatione refertas non ſemel inſculpi curarunt. Sic Neapolitani apud Gruterum CCCXIV. 4. Severo Imperatori lapidem erexere, in quo DOMINO INDULGENTISSIMO ORD. P. Q. NEAPOLIT. Non autem hujuſmodi Titulus hucuſque in urbe datus, nec eodem publicum æs ſignari permiſſum. At, ut prona eſt ad pejora quæque Hominum ambitio, in Aureliani, & Cari Nummo unà cum *Dei* appellatione conjunctus. DEO, ET DOMINO. Cæterum *Domini* Titulus in Diocletiani, & Maximiani Nummis primùm viſus, ſi fides erudtiſſimo Ezechieli Spanhemio de uſu, & præſtantia Numiſ. Diſſert. 12., & quidem poſt abdicatum Imperium. In nummis poſtea *Licinj Junoris*, *Conſtantini*, & filiorum, & præcipue *Conſtantii* frequens. At eum è Conſtantini Familia reſpuit Julianus: licet

ta-

tamen vel ſemper ea mens Juliano non fuerit ſeu ei inſcio, & inconſulto quandoque datum. Legitur enim in pluribus ejuſdem nummis apud Cl. Duchangium de Familiis Bizantinis. Poſtremùm in Nummis Valentiniani VALENTIS noſtri, & Gratiani non ſolùm frequens, ſed perpetuus.

De MAXIMI cognomine alibi a Nobis agendum eſt, cum ſcilicet Nummi tempus accuratiùs inquiremus. Quod verò ad VICTORIS attinet, vetus quidem Romanis Cæſaribus conſuetudo fuit, ſicuti in publicis, & ſolemnibus ſtatuis victorias adpingere, ita eaſdem in Nummis inſculpere. Hinc toties VICTORIA AUGUSTI vel AUGUSTORUM: addito quandoque ipſius Imperatoris, ut VICTORIA GALBÆ, OTHONIS, VESPASIANI, &c. quandoque etiam ipſius devictæ Gentis nomine, ut VICTORIÆ BRITANNICÆ in *Comodo*, *Severo*, *Caracalla*, & *Geta*. Quamvis autem in noſtro VALENTIS Nummo victoriam Gothicam, & Procopii deſignari ſtatuendum ſit, attamen hujuſmodi ſolius *Victoris* appellationem inſuetam eſſe vidimus, ac fortaſſe huic tantùm peculiarem. Solemne enim fuit victorias has in alterâ Nummi parte variis iconibus exprimere, ibique vel victoris, vel victæ Gentis nomina apponere. Scimus equidem Conſtantinum ſibi ſubinde *Victoris* nomen propoſuiſſe, ut teſtatur Euſebius lib. 2. de vita Conſt. cap. 19.: at in ejuſdem Nummis legitur VICTORIA CONSTANTINI AUG.

Nim-

Nimbos porrò vocamus circulos illos, qui hodienum capita noſtrorum Numinum, anteactis verò ſæculis, & capita Orientalium Imperatorum ambiebant. Qui licet intra pomœria Conſtantinopolis, aliorumque circumjacentium oppidorum limites coerciti, inſignia tamen Sanctorum quandoque occuparunt; & *Sanctos* ſe ſe ab ſudditis, atque adeo ab ipſis Patriarchis appellari voluere. Præiverit licet ipſis Conſtantinus, qui ut tradit Juvencus lib. 4. Hiſtoriæ Evangelicæ, *Sanctum* ſe vel *Divum* appellari conſtantiſſime renuit. Nimborum autem origo variè deducitur. Nonnulli à Moſe ipſo eos auſpicantur; aliis myſtica quædam interpretatio placet, quaſi vel Divinum lumen, vel in circulis ipſis tanquam ſcutis Numinum protectionem agnoverint. Videſis Honorium Auguſtodunenſem Lib. 1. Cap. 133. Opinio autem eorum, qui ab lunulis illis vel patellis, quibus Statuarum capita operiebantur, ut ea ab temporum Aviumque injuriis ſarta tectaque facerent, huiuſmodi morem profluxiſſe credunt, communi jam Eruditorum calculis exploditur. Locuſque Ariſtofanis in Avibus, qui eam tuentibus in proclivi eſſe ſolet, aliò adducitur. Mihi in Diſſertatione de titulo *Divi* priſcis Imperatoribus conceſſo, quæ Lucenſibus typis hoc anno prodiit, perſuaſum fuerat rem derivandam eſſe ab illis velaminibus, quibus olim capita Deorum, & conſecratorum Hominum amiciebantur, ut patet ex eorum Nummis. Conjecturam utcumque firmat locus Servii ad Lib. 3. Æneid. n. 55.

a quo

a quo nimbus dicitur nebula quædam, quæ vel Deorum, vel Imperatorum capita nubere fingitur. Gentilium autem Theologia Deos ſuos vel nebula clauſos vel velatis capitibus repræſentabat, ut huiuſmodi ſigno eorum naturam Divinitatemque noſtris nec oculis nec ingenio perviam innueret.

Ut ut autem ſit, hunc ritum ab Ægyptiis primum profluxiſſe opinatur Philippus Buonarruoti, Vir in perſcrutandis Antiquitatis ruderibus nulli profectò ſecundus. Opinionemque tuetur fragmento vitreo, cujus typum exhibet, in quo Deus Horus viſitur cum capite à diſco quodam vel nimbo circumdato. Et Pignorius in Expoſitione Tabulæ Iſiacæ obſervat hujuſmodi Nimbos non circum, ſed deſuper Ægyptiorum Numinum capita in antiquiſſimis eorum monumentis ut plurimum conſpici. Ab Ægyptiis morem mutuati ſunt Romanorum Patres: & in vetuſtis imaginibus à Titi Cæſaris Thermis deſumptis Apollus nimbatus eſt. Pænes ipſos poſtea, quadam inſitâ adulationis prurigine, à Numinum in Auguſtorum capita effluxit. In arcu Conſtantiniano *Trajano* ceſſit; in poſtica Nummi parte apud Oiſell. Tab. 67. 1. *Antonino Pio*; & apud Morellium Nov: Specim. Tab. 4. n. 4. *Fauſtæ* Conſtantini uxori; & apud Cl. Duchangium *Conſtantio*, *Conſtanti*, *Theodoſio* juniori, *Placido Valentiniano* in eorum nummis Conſularibus. Ex quibus eruebat eruditiſſimus ſcriptor inter conſularis dignitatis ornamenta nimbum quoque eſſe accenſendum: do-

docebatque id etiam a loco Mamertini in Panegyri Maximiano dicta luculentiſſimè erui: in qua inter conſularis dignitatis inſignia Nimbus legitur. *Trabeæ veſtræ triumphales, & ſellæ curules, & hæc obſequiorum ſtipatio, & illa lux divinum verticem claro orbe complectens veſtrorum ſunt ornamenta meritorum*. At Valeſius in Notis ad Ammiani lib. XXI. cap. 1. contendit non hæc de nimbo intelligenda; ſed de corona margaritarum accipi, quæ in Cæſarum capitibus affulgebat. Melior fortaſſis Valeſio cauſa.

Poſtquam autem Nimbus in frequentiſſimum Hominum decus tranſiit, eum veteres illi Chriſtiani non ut Divinitatis tantùm notam, ſed veluti quoddam Numinum unà & Principum virorum ornamentum reſpexere. Quapropter eodem tempore nimbatæ apud ipſos apparent Imagines Chriſti, Angelorum, Divorum, nec non Principum, Regum, inſigniorumque quorundam Virorum; imò, & Provinciarum, & Civitatum, quas olim ſub Fœminarum vultu mos fuit repræſentare. Videndus Ciampinus vet. monum. Tom. 1. pag. 200. & Tom. 2. Cap. 29. Bonnarruoti Fragm. Tab. 9. Fig. 1. 2. pag. 62., & Duchangius in Familiis Byſantinis. Apud quem in Diſſertatione de Inferioris ævi numiſmatibus *Manuelis Paleologi*, & *Helenæ* uxoris, & trium inſuper Filiorum capita nimbata ſunt. Procedente verò tempore, & luce Evangelj clariùs diffuſâ Numini tantum Diviſque nimborum honos relictus: quod quarto Eccleſiæ vergente ſæculo factum eſſe plures Greco-

 rum

rum Imperatorum imagines apud Duchangium ipſum de Familiis Byſantinis abundè teſtantur.

Gemmati Diadematis uſum, quod VALENS hic exhibet, deſcribitque Chryſoſtomus in orat. LXXVII. pag. 337 Tom. V. Edit. Savil. ab Conſtantino Magno inductum arguunt tum ipſius, tum ſequentium Imperatorum Nummi: docetque Victor in Epitom. Cap. 41. Valeſius in Notis ad Marcell. Lib. XIV. Cap. 1. Ex quo liquet minùs accuratè loqutum fuiſſe Salmaſium in Solinum, cum hujuſmodi Diadema ab Heliogabalo primum invectum fuiſſe ſcribat. Non enim eum geſtavit Heliogabalus ut Imperator, ſed ut Patrii Numinis Sacerdos, teſte Lampridio in eodem, Cap. XXIII. Quem poſtea ut imitaretur Conſtantinus, ſcribit Spanhemius aliam diadematis formam excogitaſſe in caliptræ formam, quâ totum caput ambitur; & caſſidis apice, quem *tophan* Græci vocant, decoratum: cujus typum idem exhibet in Juliani Cæſar. pag. 158. Sed fortaſſe alia ab Heliogabali imitatione fuit Conſtantiniani hujus Diadematis origo. Legi enim in Ptolomei Silvii Laterculo apud Duchangium de Inferioris ævi numiſmatibus, Conſtantinum, ut profluentes deciduoſque de fronte capillos conſtringeret, quandam diadematis ſpeciem inveſtigaſſe. *Conſtantinus ſenior, qui Chriſtianæ religionis miniſtros privilegiis communivit, diadema capiti ſuo propter refluentes de fronte propria capillos, pro qua ſaponis etiam ejuſdem nominis ordinata confectio eſt, quo conſtringerentur, invenit, cujus mos hodiè cuſto-*

di

ditur. Quo loco conciliari poſſe crediderim Victoris antilogiam, qui poſtquam ſcripſit Aurelianum ex Imperatoribus primum Diadema capiti innexuiſſe, id ipſum poſtea de Conſtantino tradit: *Habitum regium*, inquit, *gemmis, & caput exornans perpetuo diademate*. Hæc inter ſe pugnantia Victoris verba ut declinaret Valeſius in Notis ad Marcell. lib. XXI. cap. 1. ſentiendum ſtatuit: Aurelianum quidem ex Romanis Principibus primum diademate caput ornaſſe, ſe poſt ipſum alios in feſtis tantum ſolemnioribuſque diebus, non *perpetuò* eo uſos fuiſſe, perindè ac Reges hodienum ſolent. Conſtantinum verò diadema *perpetuò* geſtaſſe, idque exinde inter Imperii inſignia haberi ceptum. At quid veroſimilius a Conſtantino *perpetuò* geſtatum fuiſſe diadema illud, quod ad capitis calvitiem ſeu impediendam, ſeu operiendam fuerat excogitatum? Cæterum poſt Heliogabalum gemmatum illud diadema, de quo nobis in preſentiarum eſt ſermo, apud ejus proximiores in Imperio ſucceſſores non obtinuiſſe evincunt ſuperſtites eorum Nummi: cum *Conſtantis*, *Chlori*, *Galerii*, *Maximini* aut *Maxentii* Nummi laureatâ tantum vel Galeatâ, aut ſubinde cum corona radiata nuſquam cum gemmato diademate, ſi unum ſub Jovis titulo a Triſtano vulgatum mittas nummum, capita eorum exhibeant. E contra a Conſtantino in ſucceſſores effluxiſſe certum eſt: quinnimò in Filios etiam derivare hujuſmodi honorem paſſus eſt, ut ex aliquibus eorum Nummis eruitur. Verum haud

ca-

eadem fuit Conſtantii Filii in conſobrinos Gallum, & Julianum indulgentia: a quo uterque quidem Cæſares renuntiati, ſed cum *modo*, & *menſura*, nempe *ſine diademate*, ut ſignanter vidimus à Chryſoſtomo notatum. Quæ Auguſtorum (ſic ita loqui amant) incoſtantia non parum turbat illius temporis hiſtorias: in quibus Cæſaribus conceſſum diadema modo legimus, ut in Euſebio de Conſtantio Chloro adhuc Cæſare; in Claudiano de Honorio item Cæſare, in Theophane, Zonara, & Glyca, &c.; modo eis denegatum videmus: uti in Ammiano Lib. 20. Cap. 4., in Zozimo Lib. 3. pag. 153., in Gregorio Nazianzeno orat. 3. pag. 67. in Chryſoſtomo Orat. 64. in S. Babylam Tom. 5. pag. 159. Edit. Savill. aliiſque plurimis. Non vero ſemper eadem fuit Conſtantiniani diadematis forma. Interdum nuda faſcia cingebat caput, ut in *Conſtantini* Junioris Nummo, cujus inſcriptio eſt PRINCIPI JUVENTUTIS; & interdum triplici unionum circulo prænitebat plurimis aliis gemmarum involucris interſepto: ut in capite *Romani Diogenis* Imperatoris, & *Eudoxiæ* conjugis in diptyco eburneo apud Duchangium.

Globus autem in Imperatorum dextra frequens eſt in Nummis: & cum eo occurrunt *Didius Julianus*, *Caracalla*, *Heliogabalus*, & *Conſtantinus* apud Stradam n. 244 cum epigrafe RECTOR ORBIS. Quo ſigno, jam ab ætate Auguſti teſte Iſidoro Lib. 18. cap. 3. Romanum Imperium, quod magnificè univerſi Orbis nuncupabant, innui cæptum eſt. Unde *Conſtantinus* in Obeliſci

ro-

Romani inſcriptione *Dominus Mundi* dicitur, & *Juliano* in altera apud Gruterum MLXXXVI. 7 hujuſmodi titulo blanditur neſcio quis aſſentator; & *Valentinianus Orbis terrarum Dominus* appellatur à Theodoſio Magiſtro Militum in Lib. XXIX Ammiani Marcellini. Sed non tantum in Nummis, ſed & in Statuis globus dexteræ impoſitus. Baſilius Seleucienſis Serm. de Adam 1. lepidè animadvertit, Ruſticum Virum ſtatim, ac primum Urbem ingreditur, nil ſuperciliosiùs obſervare, quàm Statuam Imperatoris, quæ digitis orbem terrarum ſuſtinet. Et de Statua Maximiani in veſtibulo Regiæ Antiochiæ poſitâ narrat Ammianus Lib. 25. cap. 10., quod *amiſit repente ſpheram aeream formatam in ſpeciem Poli quam geſtabat*. Quem uſum, ut de Nimbo dixi, à Numinum ornamento in Hominum decus ambitioſiùs translatum eſſe crediderim. Habemus enim apud Martianum Cappellam Lib. 1. Jovem duobus globulis in dextra Cœli Terræque Imperium deſignare; & in Nummo *Commodi* apud Philip. Buonar. Tabul. VII. 2. Imperator exprimitur cum Mundi ſphera ab Jove ipſo ſibi traditâ.

Globulis his Victoriolæ inſidebant, quæ victorias innuerent ab Auguſtis reportatas: & quibus ipſorum Domus quandoque adornabantur. Quod fortaſſe, & à privatis Hominibus uſurpatum: ſi fides Apulejo, à quo in ſuæ illius Conſanguineæ Domo Victoriæ globis ſtantes deſcribuntur Lib. Metamorph. 1. Harum victoriarum globis appoſitarum ſpecimen ſæpius occurrit in Num-

Nummis *Probi*. Unumque mihi exhibuit perhumanus Juvenis Franciſcus Maria Florentinus, in cujus anteriori parte Imperator viſitur, ita noſtro ſimilis, ut in ſanè paucis abludat; Epigraphem habet *Imp. Probus P. I. Aug.* in poſtica *Tres Monetæ* cum *Moneta Aug.* Prima autem Imperatoris effigies, quæ globum cum hujuſmodi Victoria habeat, ea eſt, quam reddunt Nummi à Tarraconenſi Civitate in honorem Auguſti percuſſi: & in quibus inſculpta eſt Statua quædem ei ab iiſdem Civibus erecta. Proſtrant apud Vaillant Colon. Tom. 1. pag. 36. At Imperatores Chriſtiani meliori ſane conſilio Cruces globulis apponebant: utpote qui Crucis auxilio Victorias triumphoſque referebant: uti notat Procopius ita de Juſtiniano loquens de Ædif. Cap. 2., *non gladium, non haſtam, non aliud geſtat armorum genus, ſed Crucem globo impoſitam, cujus opera Imperium, ac belli victoriam adeptus eſt*.

In averſa noſtri Nummi parte duo item Victoriolæ hinc inde cum ſuis coronis volitantes *Valentem* comitantur, quod & in plurimis aliis Nummis obſervatur, & præcipuè in *Severo*, *Alexandro*, & *Caracalla* apud Philip. Buonar Tabula XII., & Tab. IX. Conſuevere enim Romani hujuſmodi victoriarum ſtatuis triumphales Auguſtorum currus ornare: in quarum manibus coronæ illæ innectebantur, quæ Reipublicæ temporibus Servorum ope deferebantur. More fortaſſis à Græcis deſumpto, ut eruitur ex Pauſania Lib. 20. pag. 336. Ut plurimum autem conſpiciun-

ciuntur in Nummis, ſicuti & in noſtro nudato pectore, & veſte fluitante, ut eas deſcribit Prudentius Lib. 2. contra Symmachum, Dei providentiam laudans, quæ gentilium victoriarum ſpoliis non exornatur.

..... non pexo crine virago,
Nec nudo ſuſpenſa pede, ſtrophioque recincta,
Nec tumidas fluitante ſinu inveſtita papillas.

Strophium cingulus eſt, breviſque faſcia, quâ Virginum pectus vincitur: de quo videndus Iſonius antiquus Prudentii Scholiaſtes ad hymnum 3. v. 29. Cathem., & Catullus Argon. v. 65. Alas item geſtant, quas eis non primitus conceſſas tradit alter Ariſtophanis Scholiaſtes in Avibus; & vergentibus annis datas veluti ſymbolum illius celeritatis, quâ ab uno ad alterum Populum tranſeunt: unde eas Athenienſes abſque alis inſculptas voluere, ne ad alias, eorum relictâ Urbe, deficerent: teſte Pauſaniâ Lib. 1. pag. 39.

Veſtem, quâ induitur VALENS in Nummo, quamque ad humerum fibula complectitur, militare eſſe pallium magis conſtat, quàm indigeat probationibus. Nam & reliqua indumenta ipſum ab exercitu reducem ſatis ſuperque demonſtrant. Miſſa hæc igitur faciamus ad alia deſcenſuri.

Omnium, quos Nummus habet, rarior, præſtantiorque nota, nec in aliis ſatis obvia, Currus eſt, quem ſeni Equi trahunt. Horum tamen duo hunc *Gordiani*, alterum *Probi* memorat Buonarruoti, unumque *Galli*, & *Voluſiani* Bandurius in Bibliothecâ nummariâ: quem Eques Maffæjus

Volaterranus exhibet, & illuſtrat in Epiſtolâ Giſberto Cupero datâ. Ibidem vir eruditionis copiâ [utinam & delectu] celebris, morem quadrigarum, qui in Republicâ obtinuit, temporibus Auguſti ferè deſiiſſe ſcribit; ipſumque Auguſtum primum fuiſſe, qui ſenos equos triumphali currui adjungeret, & Plinium teſtem advocat Lib. 3. Cap. 5. ubi numeralis nota excidit Typographo, & pro lib. 3. debet reponi Lib. 34. At Dio Caſſius in Caligulâ lib. 59. pag. 644. edit. Hann. ad annum 79. eidem Imperatori ſejugarum originem tribuit: *Patricii* inquit, *Pueri Trojam luſerunt, ſex equis tractus eſt currus triumphalis, quo Cajus vehebatur, numquam ante uſitatus*. Locus hic quo pacto conciliari cum Plinio poſſit non video; ſed nec video cur Plinii fides cum fide Dionis, ſi quis alius, accuratiſſimi Hiſtorici, ſit comparanda. Habemus, & ex Svetonio alterum locum, unde Plinii aſſertio non parum infirmatur. Memorat hic Octavii Patris ſomnium, qui Filium Auguſtum *mortali ſpecie ampliorem* vidit, *cum fulmine, & ſceptro, exuviiſque Jovis O. M. ac radiatâ coronâ ſuper laureatum currum biſſenis equis trahentibus*. Nemo ſanæ mentis Homo eò adducetur, ut credat à Svetonio memorari Octavii ſomnium veluti fruſtaneum, nec nuſquam temporis eventurum; ſed quod potius rerum viciſſitudines, & Filii virtus, & fortuna comprobarunt. At quando nam biſſenis junctis ad currum equis triumphavit Auguſtus? Ut ergo aliquid veri ſomniaſſet Octavius, ſtatuendum eſt ei dormienti occurriſſe biſſenos

equos

equos illos, qui, quatuor pro unaquaque vice adhibitis, tres illos triumphos, quos agere debebat Auguſtus, innuerent: & in quibus non ſejugis, ſed quadrigis evectum fuiſſe noverat Svetonius. Nec vera reponeret, qui ideo biſſenos equos ſomniaſſe Octavium crederet, ut Jovis currui proprius accederet. Nam ſcimus Jovi ſejugum tantum dicatum, teſte Iſidoro lib. 18. cap. 56., & Panvinio de Lud. circenſ. pag. 16. cap. 9. adeoque eo uſus eſt *Gordianus* in Nummo apud Philip. Buonarruoti Tabul. 145.

Cæterum currus, qui hoc in Nummo exhibetur, idem ipſe eſt, quo Triumphatores utebantur, in formam ſcilicet Turris compactus, & duobus tantum innixus rotis: ſicuti in Arcubus, Nummiſque paſſim occurrit. Videſis Zonaram Tom. 3. Annalium pag. 31. Turnebum lib. 2. Adverſar. Cap. 6. Quapropter jure meritò Eminentiſſimus Noriſius Rubenium vellicat in explicatione Gemmæ Auguſtæ, qui currum Triumphantium arcuatum eſſe docuerat. Moris etiam fuit, ut Imperatores in curru ſtarent; quemadmodum & hîc VALENS. Ovid. lib. 3. de Ponto Eleg. 4.

Illa Ducis facies in curru ſtantis eburno.

Prudentius Lib. 2. in Symmacum verſ. 555.

. . . . *Stanteſque Duces in curribus altis.*

Nummo denique pro noſtrâ tenuitate explicato, jam ad ejuſdem ætatem, ut dicunt, expiſcandam devenimus.

Quod nunquam melius præſtitero, quàm quum titulum illum MAXIMI animadvertero.

Is enim à Familià VALENTIS eſſe nequit, quod & aliis Cæſaribus non ſemel eveniſſe patet ex his, quæ Bandurius, & Spanhemius literis tradidere. Undè extra dubii aleam eſt VALENTI datum, vel ob res ab eo in bello præclarè geſtas, quibus ingens nomini Romano gloria parta ſit, vel quia, eo curante, Reipublicæ optata diù pax è diro bellorum fremitu tandem emerſerit. Nam hujuſmodi Titulos à Militum acclamationibus derivaſſe iampridem viri docti obſervarunt. Duplex autem VALENTIS victoria potiſſimum commendatur: una quidem, quam de Procopio magni nominis, licet brevioris temporis, Tyranno reportavit ſub annum 366.; & alteram quam de' Gothis habuit: ferociſſimâ eorum gente prœliis primum fractâ, ad iniquiora inde pacis fœdera admiſſâ anno 369. Alterutrius, vel amborum memoria in Nummo videtur exprimi. Poſtremum arridet magis, firmantque duo illæ victoriolæ, quæ duplicem Auguſti victoriam oſtendunt: Cum enim vel exeunte anno 369, vel ſub initium ſequentis anni Conſtantinopolim ex utroque hoſte victor redierit VALENS; tunc ei MAXIMI nomen inditum, Populo congiarium datum, nummumque cuſum in duplicis victoriæ monumentum arbitramur. Opinionem tuetur Themiſtius, qui Orationem Imperatori dicens, quæ inſcribitur *de Pace ad Valentem*; eum *Gothicum* appellat. *Quem non igitur*, inquit, *appellari eum Gothicum convenit? Per quem Gothi ſalvi adhuc, & incolumes ſunt?* Id genus autem appellationum cum ti-

titulo MAXIMI conjungi tantùm non omnes norunt. Et quidem Eutropius, quì *Epitomen* ſuam *rerum geſtarum* abſolverat *Joviniano*, & *Varroniano Coſſ.* Anno Urbis conditæ 1109. qui tamen verè fuit Anno 1116, à Chriſto nato 364; & VALENTI vel exeunte 369. vel ineunte 370. dicavit, teſte eruditiſſimo Pagio ad annum 369. pag. 520., eum GOTHICUM MAXIMUM in ſalutatione nuncupatoriæ Epiſtolæ diſertiſſimè appellat. Tanti nominis Titulus in Iſcriptione quadam legitur, quam ex Boiſſardo Antiquitatum Romanarum P. III. pag. 114. refert Relandus in Faſtis Conſularibus ad annum 368. *Valentiniano*, & VALENTE Auguſtis iterum Coſſ. Extat & apud Grutherum pag. 160. n. 4. Eſt autem hujuſmodi.

DOMINI NOSTRI IMPERATORES CÆSARES FL. VALENTINIANUS PIUS FELIX MAX. VICTOR AC TRIUMF. SEMPER AUG. PONTIF. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTH. MAX. TRIB. POT. VII IMP. VI CONS. II P. P. P. ET. FL. GRATIANUS PIUS FELIX MAX. VICTOR AC TRIUMF. SEMPER AUG. PONTIF. MAX. GERMANIC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III IMP. II CONS. PRIMUM PONTEM FELICIS NOMINIS GRATIANI IN USUM SENATUS AC POPULI ROM. CONSTITUI DEDICARIQUE JUSSERUNT.

Didici fateor vocabula hæc *Pii Felicis ſemper*

per Auguſti hujuſmodi eſſe ætatis, & notam Tribuniciæ Poteſtatis, quæ ſequioribus his temporibus nunquam in nummis, rariùs quidem, ſed quandoque in Inſcriptionibus inveniri. Attamen neſcio quæ in hujuſmodi lapide occurrunt, quæ fucum mihi redolent, & à me vix impetrare poſſum, ut eum veluti genuinum amplectar. Tribuniciæ Poteſtatis annus falsò hic adnotatur, quod præcipuum ſubleſtæ fidei argumentum eſt. Nam ſextus annus Tribuniciæ poteſtatis VALENTIS, & *Valentiniani* nullo modo cum ſecundo eorum Conſulatu convenire poteſt. Valentinianus enim vigeſimo ſexto Februarii die, neſcio cujus vanæ obſervationis cauſâ, & VALENS 28 Martii ejuſdem anni 364 Imperatores renunciati, ſecundum Conſulatum in quartâ, & quintâ, & tertium in ſextâ, & ſeptimâ Tribuniciâ poteſtate obtinuere. Quapropter cui placuerit Inſcriptionem amplecti, opus erit uno anno Tribuniciam poteſtatem Auguſtorum imminuere. Neque hoc Excriptori vitio vertendum eſt; nam bis error hic repetitur: nec Lapidario; nam Fabbrettus pag. 363. obſervat eâ characterum elegantiâ, & diligentiâ inſculptum eſſe Lapidem hunc, quæ melioribus ſæculis, non *Valentiniani* temporibus conveniret. Quamvis porrò incertum, & fallax probationis genus ſit ex characterum conformatione tempora diſtinguere. Eodemque malo laborat annus Tribuniciæ Poteſtatis Gratiani: nam tertia ejuſdem cum ſextâ Patris, & Patrui nullo pacto cohæret: & inſolens marmoribus eſt primum

mum Conſulatum ſignare *Conſul primùm*: nam primo Conſulatui nullus numerus jungitur, & ſecundus, & tertius, &c. numeralibus notis II. & III. &c. prænotatur. At dum in noſtro Lapide *Conſul primùm* dicitur Gratianus, eum actualem Conſulem deſignaret, quod altero *Valentiniani*, & VALENTIS Conſulatui repugnat. Gratianus enim primùm Conſulem egit cum Dagalaifo, biennio antequam Pater, & Patruus ſecundum egiſſent. Literæ illæ P. P. P., quæ tribus Auguſtis occurrunt, terque repetitus *Cons* pro *Cos*, ut conſtantiſſimè habent lapides, aliorum criteriis examinanda relinquo. Mihi ſanè adulterina ſunt. Titulus item *Pontificis Maximi* unicuique eorum tributus non aptè admodum convenit cum Chriſti monogrammate, quod in eorum nummis paſſim inſculpitur. Cum de Gratiano præſertim habeatur ex Zoſimo, quod Chriſtianis licet iniquus, oblatum tamen ſibi hujuſmodi titulum reſpuit, eumque Chriſtiano Principi indebitum dixit. Efferuntur quidem ex Gruthero Inſcriptiones duo, quæ Gratianum *Pontificem Maximum* faciunt: ſed hæ minoris auctoritatis ſunt, infirmioriſque fidei, quàm noſtra hæc. Nam earum una hujus ipſius lacinia eſt, & Gratianum in Tribuniciâ Poteſtate VI *Conſulem primùm* deſignat, quando Conſul erat II; & altera ex *Schotti ſchedis* deſumitur, infauſti propemodum augurii locus; & abſolvitur COS. IIII PIM. P. PP. RESTITUIT G XI: quæ verba neſcio equidem quibus ſinceræ Antiquitatis explicationibus evolvi poſſint. Optandum

dum igitur eſt eruditiſſimum Virum Scipionem Maffæjum eâ quiete otioque frui, ut ſuæ *Criticæ Lapidariæ* libris perficiendis totus incumbat, & lapis hic unà cum tot aliis acri ejus examini ſubiiciatur.

Alterum modo Lapidem proferam ex Gruthero CCLXXXV in quo nulla cubat falſitatis ſuſpicio, & in quo æque ac in priori MAXIMI titulo VALENS decoratur.

MAXIMO PRINCIPI
INDULGENTISSIMO
DOMINO VALENTI TRIUMFATORI
SEMPER AUGUSTO
C. CEJONIUS RUFIUS VOLUSIANUS
V. C. PRÆFECTUS URBI ITERUM
JUDEX SACRARUM COGNITIONUM
SERENITATI EJUS DICATUS.

Modò ſi quoto anno VOLUSIANI altera Urbis Præfectura inciderit per eos, qui Romanorum Magiſtratuum ſeries literis conſignarunt rotundè innotuiſſet, in proclivi eſſet allatam ſententiam de tempore, quo Imperator noſter MAXIMUS fuit ſalutatus, vel ſpongiæ tradere, vel majori momento firmare. At cum hoc Chronologicis involucris deliteſcat adhuc, ſpiſſæque Literatorum velitationes ad id eruendum parum ad hunc diem profecerint, & ego aliquid tentandum duxi: hoc ſaltem ſi errare contigerit habito erroris levamine, quod magni Viri præiverint. Ut ergo, quæ à me dicenda erunt in majori luce ſint, Lectoremque non lateat à quibus de-

deſciverim, Chronologicos quoſdam Indices Præfectorum Urbi addam ab initio Imperii VALENTIS & *Valentiniani* uſque ad annum 373. Primus igitur erit eorum, quos Ammianus Marcellinus in ſua Hiſtoria commemorat. Alterum conflabo ex Faſtis Johannis ab Halmelovven. Tertium è ſerie Magiſtratuum Thomæ Lidiat. Quartum è Chronologia Codicis Theodoſiani Gotthofredi. Poſtremus is erit, quem è privatis meis meditationibus eruam. In Amminiani libris citandis uſus ſum nitidâ Editione Valeſiorum Lugduni Batavorum apud Petrum Vander An. *1693*.

Chronologia Præfectorum Urbi
ex Amm. Marcellino.

Anno

364 APRONIANUS

365 SYMMACHUS. *Symmachus Aproniano ſucceſſit*. A. M. pag. 522.

366 LAMPADIUS. *Advenit poſt hunc* (Symmachum) *Urbis Moderator Lampadius*: A. M. pag. 522.

367 JUVENTIUS. Ita enim pro *Viventio*, ut in aliquibus M M S S corrigendum duxit Valeſius. *Advenit ſucceſſor ejus* [Lampadii] *ex Quæſitore Palatii Juventius*. A. M. pag. 524.

368 PRÆTEXTATUS. *Hæc inter Prætextatus Præfecturam Urbis ſublimius curans*. A. M. pag. 541.

369 OLYBRIUS. *Queſti apud Olybrium ea tempeſtate Urbis Præfectum*. A. M. pag 554.

371 AMPLEJUS. *Poſt hunc* (Olybrium) *Urbem rexit Amplejus*. A. M. pag. 572.

374 CLAUDIUS. *Claudio regente Urbem æternam*. A. M. pag. 632.

Chronologia Præfectorum Urb. Joh. ab Halmelovven additis ejuſdem ex Cod. Theodoſ., & Juſtin. teſtimoniis.

Anno

364 APRONIANUS.

365 SYMMACHUS.

366 PRÆTEXTATUS. *Cod. Theod. Lib. IX. Tit.* 4. *L.* 10.

—— VALERIANUS. *Cod. Theod. Lib. IX. Tit.* 1.

367 VIVENTIUS. *Cod. Theod. Lib. IX. Tit.* 28. *L.* 3.

—— PRÆTEXTATUS. *Cod. Theod. Lib. VIII. Tit.* 3. *Leg. unica*.

368 PRÆTEXTATUS. *Cod. Theod. Lib. XIII. Tit.* 3. *L.* 8.

—— RUFINUS. *Cod. Juſtin. Lib. I. Tit.* 28. *L.* 3.

—— OLYBRIUS. *Cod. Theod. Lib. IX. Tit.* 38. *Leg.* 4. *Cod. Juſtin. Lib. X. Tit.* 31. *L.* 28.

369 OLYBRIUS. *Cod. Theod. Lib. XI. Tit.* 39. *L.* 6.

370 PRÆTEXTATUS. *Cod. Juſtin. Lib. X. Tit.* 52. *L.* 9.

OLY-

—— OLYBRIUS. *Cod. Theod. Lib. XIII. Tit.* 5. *L.* 10.

371 AMPLEJUS. *Cod. Theod. Lib. IX. Tit.* 16. *L.* 10.

372 R. AMPLEJUS. *Cod. Theod. Lib. XVI. Tit.* 5. *L.* 3., ubi vitioſè P. PRÆT. pro P. U. *Cod. Juſtin. Lib. XII. Tit.* 12. *L.* 1.

373 R. OLYBRIUS. *Cod. Theod. Lib. XI. Tit.* 31. *L.* 5.

Chronologia Præfectorum Urbi ex ſerie ſummorum Magiſtratuum Romanorum Thomæ Lidiat.

Anno

363 LUCIUS TURCIUS APRONIANUS.

364 C. CEJONIUS RUFIUS VOLUSIANUS, & AURELIUS SYMMACHUS.

365 VOLUSIANUS iterum & LAMPADIUS.

366 VIVENTIUS.

367 VETTIUS PRÆTEXTATUS.

368 Q. CLODIUS HERMOGENIANUS OLYBRIUS Anno ſecundo.

370 AMPLEJUS.

371 AMPLEJUS Anno ſecundo.

372 CLAUDIUS.

373 CLAUDIUS Anno ſecundo.

374 EUPRAXIUS.

Chronologia Præfectorum Urbi Gotthofredi additis citationibus A. Marcellini ex eodem.

Anno
364 APRONIANUS.
365 SYMMACHUS. *A. M. Lib.* 27.
366 PRÆTEXTATUS.
367 VIVENTIUS. *A. M. Lib.* 27.
368 VIVENTIUS iterum & PRÆTEXTATUS. *A. M. Lib.* 27.
369 PRÆTEXTATUS iterum & OLYBRIUS
370 OLYBRIUS iterum & PRINCIPIUS.
371 AMPLEJUS. *A. M. Lib.* 29.
372 AMPLEJUS iterum.
373 VOLUSIANUS.

Chronologia Præfectorum Urbi, quæ in ſequentibus paginis explicatur.

Anno
363 APRONIANUS.
368 VOLUSIANUS Anno primo.
369 SYMMACHUS.
366 LAMPADIUS.
367 JUVENTIUS.
358 PRÆTEXTATUS.
369 OLYBRIUs.
270 PRINCIPIUS.
371 AMPLEJUS Anno primo.
372 AMPLEJUS Anno ſecundo.
3 3 VOLUSIANUS Anno ſecundo.

Pri-

Primus omnium ſtatuitur hic APRONIANUS, docente nos Ammiano Marcellino Lib. 23. pag. 381, ultrò ei delatam dignitatem ab Imperatore Juliano recepiſſe. Magiſtratum illuſtravit acerrimâ in veneficos perſequutione, quos tunc temporis Romæ rareſcentes cœpit, indicatiſque ſociis morte multavit, reliquoſque, ſi qui latebant, formidine pœnarum ejecit. Thomas Lidiat eum *Lucium Turcium Apronianum* appellat, Panvinium in faſtis ſequutus. Alterutrum eraſſe, ſit verbo venia, crediderim: nam *Lucius Turcius Apronianus* Præfectus quidem Urbi fuit, ſed *Conſtantino II.*, *&* *Conſtante Coſſ.* ut è Faſtis Cuſpiniani obſervat Valeſius in Notis Ammiani pag. 381. Cœterum hic noſter in Cod. Th. L. 3. *de ſvariis*, *&* *pecuariis* vocatur *Flavius Apronianus*. Iniit Præfecturam anno 363.

Huic in menſe Aprilis ſequentis anni 364 alter venit VOLUSIANUS noſter in Lege Cod. Theod. Lib. XI. Tit. 14. L. 1. quæ Præfecto Urbi dubio procul dirigitur, nec ejuſdem emanationis tempus *Joviano*, & *Varroniano Coſſ.* ullam patitur æquivocationem. Sed quia Ammianus non *Voluſianum*, ſed *Symmachum* Aproniano ſubſcribit, ut ei accederet Gothofredus vim legi factam opinabatur, in qua pro *Aproniano*, *Voluſianus* reddi debuiſſet. At ego libentiùs crederem Ammiano *Voluſianum* excidiſſe. Quod apud alios etiam fortean obtinebit, ſi animadvertatur nunquam in Libris Ammiani *Voluſianum* memorari, quem tamen duplicem urbis Præfecturam egiſſe ve-

vetera nos edocent monumenta ; quæ infra aptiori loco erunt proferenda. Addit ulteriùs Tillemontius in Notis ad Valentinianum Imperatorem num. XVI, in Codice Juſtinian:, eodem teſte Gothofredo, legem contineri *Voluſiano* datam, in qua nonnulla leguntur ex hac eadem lege excerpta, quam ſub die octava Aprilis *Voluſianus* accepit, ita ut una alterius videatur laciniam exhibere; unde neutra earum debet noſtro *Voluſiano* abjudicari. Huic primæ Præfecturæ *Voluſiani* ea fortaſſis pertinet Inſcriptio, quam Grutherus, & Fabbrettus referunt : eamque adpoſitè P. Bandurius Numiſm. Tom. 2. ad annum 364. conſignat, ſub initium Imperii duorum Auguſtorum.

D. D. N N. VALENTINIANUS
ET VALENS AUGUSTI
ORNATUI PUBLICO
CONSTITUI LOCARIQUE
JUSSERUNT
ADMINISTRANTE RUFIO
VOLUSIANO V. C. EX PRÆF.
PRÆT. PRÆF. URB. JUD.
ITERUM SACRARUM COGNIT.

Ex quo lapide duo eruenda ſunt, quæ in rem noſtram faciunt. Primò *Voluſianus*, qui ſe Præfectum Urbi vocat, iterato Judicis ſacrarum appellationum munere fungi diſertè teſtatur. Quapropter non ſecundam Urbis Præfecturam, ſed ſacrarum Cognitionum Magiſtratum denuo initum ex lapide agnoſcimus. Quæ licet modo obſerventur ad alterius lapidis intelligentiam inferius

rius conducent. Secundò ex duorum tantum Auguſtorum appellatione abundè patet, Inſcriptionem hanc ad illam *Voluſiani* Præfecturam, quæ paucis tantùm inficientibus in anno 373 contigit, non eſſe admandandam. Etenim cum tunc temporis Romanam rem tres moderarentur Imperatores, Valentinianus, ſcilicet, Valens, & Gratianus, poſtremus horum præteriri non poterat: eo maximè quod de publicis operibus agebatur Auguſtorum juſſu ſuſceptis. Ex hoc ergo lapide luculenter noſcimus, & *Voluſianum* bis Præfectum Urbi fuiſſe, & ejuſdem primam Præfecturam ante annum 367, in quo Imperii ſui initium Gratianus habuit, ſtatuendam eſſe. Quid autem veritati proximiùs, quid Hiſtoriæ temporum aptiùs, quàm hanc eandem primam Præfecturam Theodoſiani Codicis teſtimonio ſuffragante anno 364 conjungere? Parergi demum loco ſit, ex hujuſmodi Inſcriptione ſubſidiariam rationem accedere ſcribentibus, *Voluſianum* noſtrum anno 363 Præfecti Prætorio munere decoratum: Quamvis Tillemontius in Illirico potius, quàm Romæ ab eo ſuſceptam Præfecturam ſuſpicetur.

Voluſiano SYMMACHUS hæret in anno 365. quod & Ammiani, & nonnullarum legum teſtimonio probatum nemo in dubium revocavit: ſi unum excipias Thomam Lidiat: cui placuit Voluſiani Præfecturæ Præfecturam Lampadii connectere: nulla *Symmachi* habita mentione, quem hoc eodem anno Præfectū fuiſſe Faſti omnes conclamant. Patrem habuit *Lucium Aurelium Sym-*

ma-

machum anno 330 Gallicani in conſulatu Collegam; Filium vero *C. Aurelium Symmachum*, editis Epiſtolis Orbi erudito ſatis laudatum. Ipſe, ut ex antiquioribus Inſcriptionibus eruitur, vocabatur *L. Aurelius Avianus Symmachus*. Hinc meritò arguas Fridericum Linderbergium, qui in Notis ad Ammiani Lib. XXII. Cap. 3. *Symmachum* noſtrum anno 365 Præfectum Urbi, cum Symmacho Epiſtolografo fœdè confundit. Nam quamvis alia miſſa fierent, ſolius Epiſtolæ 38 lib. 1. teſtimonio contrarium evinceretur. Ibidem enim Symmachus Epiſtolographus domum patris in regione Tranſtyberina à plebeiis quibuſdam capitibus incenſam ſcribit: quam vulgi injuriam *Symmacho* Præfecto Urbi ante Lampadium factam diſertiſſimè tradit Ammianus lib. citato pag. 522.

LAMPADIUS Symmacho ſucceſſit anno 366. cui tamen ſententiæ nec Gothofredus nec Halmelovvenius adſtipulantur; quorum primo Prætextatus, alteri Præteſtatus idem, & Valerianus Præfectus eſt Urbi. Quod Valerianum attinet, Tillemontius dubiam credit Inſcriptionem Legis, datæ ſub die 20 Novembris in Codice Theodoſiano, quæ præcipuum vel totum eſt hujus Valeriani Præfecturæ argumentum. Ac ibidem putat legendum eſſe non *Romæ*, ſed in *Hiſpania Præfecto*: ſicuti etiam legitur in alia Lege ejuſdem Codicis ſub annum 365. Alii alibi mendum cubare putant, & pro *Valeriano Voluſianum* legunt. Inter quos accenſendus eſt Reineſius, & Lidiat; qui in laudata ſerie Magiſtratuum Romanorum pag.

pag. 180 hæc habet. *His Coſſ.* Valentiniano, ſcilicet, & Valente anno 365, *poſt Symmachum Voluſianus iterum, & poſt eum Lampadius Præfectus Urbi fuit* Halmelovvenio ſanè accuratior, cui Lampadius nec nominatur unquam. Cæterum patet non alia ratione ductum fuiſſe Lidiatum, ut Symmacho, & Lampadio Voluſianum interſereret, niſi quia legerat in Codice *Voluſianum* pro *Valeriano*. Ego Tillemontio adhæreo, tenendamque duco ſententiam Ammiani, qui luculentiſſimis verbis poſt Symmachum *Lampadium* recenſet. *Advenit poſt hunc*, hæc ejus ſunt verba libro XXVII. Cap. 2. pag. 522. *Urbis Moderator Lampadius ex Præfecto Prætorio*; quod etiam habetur ex Zoſimo Lib. II, *Homo indignanter admodum ſuſtinens, ſi etiam cum ſpueret non laudaretur*. Non enim hic ageretur de quadam Scriptoris vel oſcitantiâ vel negligentiâ, qui in Præfectis Urbis enumerandis, unum alterumve tranſegerit: ut ſuperiùs cum de Voluſiano ſermo erat forſan Marcellinum peccaſſe ſuſpicabamur. At ageretur hic de ejuſdem Scriptoris fide, quaſi falsò ab eo inter Præfectos Urbi Lampadius intruderetur: cujus non nudum quidem nomen reddit, ſed tanquam Hominis ſatis cogniti mores etiam acriter vellicat. Diverſus ſanè a memoriæ lapſu, nec omnibus pronus error hic. Quoad Prætextatum, alterum hujus anni Romæ Præfectum, ſi Halmelovvenio credas, ad finem anni 367. eſſe ablegandum ex his facile agnoſces, quæ paulo infra adnotabo.

Poſt Lampadium in noſtrâ ſerie JUVEN-

TIUM legimus, aliis *Viventium* dictum: cujus Præfecturam damus Anno 367. Conſonat Halmelovvenius, & Gothofredus: diſſonat vero Lidiat, qui hanc ipſam Præfecturam uno anno antevertit. *Iis Coſſ.*, ait, ſcilicet Fl. Gratiano, & Fl. Dagalaiſo anno 366., *poſt Lampadium Viventius Pannonius Præfectus Urbi fuit*. Nobiſcum verò parvo negocio conciliandus, ſi Pagii ſententia placeret. Eruditiſſimus enim ſcriptor in Criticâ Baronii ad annum 367. n. 2. obſervat Legem Codicis Theodoſiani de *ingratis Liberis*, ſub die XV Kalen: Septembris, datam eſſe *Prætextato Præfecto Urbi*. Unde patet ejuſdem Prætextati Prædeceſſorem *Juventium* in menſe Auguſti ejuſdem anni 367 Magiſtratum ſuum clauſiſſe. At ſi Præfectura Urbana unius anni curriculo definiebatur, quod ego ægrè probarem, non abſonum ert credere *Juventii* Præfecturam aliquam anni 336 partem tetigiſſe, ad hoc ut in menſe Auguſti anni 367 annus ejuſdem Præfecturæ compleretur. Hâc vero admiſſa ſupputandi ratione corruit id quod Ammianus tradidit, diſſenſiones, videlicet, inter Damaſum Papam, & Urſicinum ſub *Juventii* Præfecturâ fuiſſe exagitas, nam, ut vidimus ex Lege laudatâ, jam in menſe Septembri *Juventio* Prætextatus fuerat ſuffectus. At hæc tanti ducenda non ſunt, ut Pagii ſententia infirmetur: ab Ammiano etenim ſuſque deque dari temporum Chronologiam pro certo jam tenent Eruditi.

In anno igitur 368, ſeu vergente anno 367 Præ-

Præfecturam iniit VETTIUS PRÆTEXTATUS. Halmelovvenio autem tres alii hoc anno dicuntur Præfecti, Olybrius, Rufinus, & Voluſianus. Olybrius quidem non immerito. Habemus enim ex L. 4. Cod. Theod. Lib. IX. Tit. 38. eum in finem anni 368 jam Præfecturæ onus ſuſcepiſſe. Unde præfatæ paulò ante opinioni pondus majus accederet. Nam ſi Olybrius cadente anno 368 Præfectus ſalutatur, rectè igitur Prætextati ad finem anni 367, & rectè Juventii Præfectura ad finem anni 366 retrahitur; Quo pacto tot inter ſe pugnantes Scriptorum ſententiæ conciliari poſſe viderentur. Rufinus Præfectus quidem fuit, ſed nec Romæ, nec Conſtantinopoli, ut idem Halmelovvenius ſubodoratus eſt; ſed in Italiâ: ut ex Lege Cod. Theod. ſub diè 25 Ianuarii *Valentiniano, & Valente Coſſ.* In quâ legendum eſſe II COSS. & ad hunc annum retrahendum, jam pridem Viri docti obſervarunt. Sicuti, & aliæ leges, quæ Voluſianum Præfectum hoc anno dicunt, ad annum 373, ſcilicet ad alteram Voluſiani Præfecturam eſſe relegandas abundè docent Tillemontius, & Pagius anno 362 pag. 504. col. 2., cujus verba alibi erunt laudanda. Denique hic adferendam duco Inſcriptionem, quæ noſtrum hunc Prætextatum reſpicit, & Beneventi legitur.

FABIÆ ACONIÆ PAULINÆ C. F. ACONIS CATULINI V. C. EX PRÆF. ET CONSULIS ORDIN. UXORI VETTI PRÆTEXTA. V. C. PRÆF. ET CONS DESIGN. SACRATÆ APUD ELEUSINAM DEO BAC-

 CHO

CHO CERERI ET CORÆ SACRATÆ APUD LÆRNUM DEO LIBERO ET CERERI ET CORÆ SACRATÆ APUD EGYNAM DEABUS TAUROBOLIÆ ISIACÆ HIEROFANTRIÆ DEÆ HECATÆ SACRATÆ DEÆ CERERI.

Memoratur etiam Symmacho Epiſtol. 1. 11. *Vettius Prætextatus*, & ait *Conſulem eſſe factum* ab Imperatore Theodoſio, & Arcadio, *ut Faſti memores celebre nomen extenderent*.

Prætextatum OLYBRIUS ſequitur anno 369: Ammiano, Halmelovvenio, Gotthofredo, & Lidiato aſſentientibus. *Poſt Prætextatum*, inquit horum poſtremus: *Q. Clodius Hermogenianus Olybrius Præfectus Urb. fuit*. Extat apud Reineſium Inſcriptio Cl. *6*. 25.

CLODIUS HERMOGENIANUS
OLYBRIUS V. C.
PRÆF. URB.
CURAVIT.

Celebre nomen hujus in Faſtis: nam anno 379 legitur Conſul Ordinarius cum Decimo Magno Auſonio. Filios habuit Sex. Anicium Hermogenianum Olybrium, & Sex. Anicium Probinum, quos ambo unà Conſules Roma ſuſpexit anno 395. Claudianus Poeta iiſdem dedit Panegyrim hexametro carmine ductam, quæ prima fuit operum à Claudiano conſcriptorum, ſed duriuſculam

lam admodum, & neſcio quomodo aliis Poematibus hærenſiorem.

Poſt Olybrium PRINCIPIUS memoratur Gothofredo, & Halmelovvenio, & lucidè firmatur à Lege Codicis ſub die 29 Aprilis *Valentiniano, & Valente III Augg. Coſſ.* Ammianus verò Olybrio Amplejum jungit: cujus authoritatem ne parvipendiſſe videretur Gothofredus ſuſpicabatur præfatam Legem ad annum 387 *Fl. Valentiniano Aug. III Coſ.* forſan eſſe revocandam. At in anno 387 ab initio Januarii ad menſem uſque Septembris Præfecturam Urbis Pinianum tenuiſſe, & Leges, & Faſti omnes teſtantur. Ultra quàm quod Valentinianus Junior Conſulem quidem III egit anno 387, at cum Eutropio, non cum Valente; nec ad id tempus tres Auguſti numerabantur, ut eſt in Titulo præfatæ Legis. In eam ergò pedibus ivi ſententiam inter Olybrium, & Amplejum ſtatuendum eſſe *Principium*, qui ut olim Voluſianus, excidit Marcellino. Halmelovvenium porrò, & Lidiatum ſi reſpicis; quorum primus unâ cum *Principio* Olybrium iterum, & alter Amplejum hoc anno Præfectos habent; prona eſt eos tuendi ratio. Verè enim Olybrius Præfecturam ſuam ultra annum 369 extendit, eâque in menſe Martio ſequentis anni adhuc potiebatur: ſicuti videre eſt in Codice Theodoſiano Lib. XIV. Tit. 9. L. 1., & Lib. XIII. Tit. 3. L. 9. nec eam citiùs quàm in menſe Aprilis ſcimus ceſſiſſe Principio. Eodem fere pacto Amplejum hoc anno Præfecturam induiſſe ritè ſuſpicamur

à Le-

à Lege Codicis eidem datâ initio anni 371, ſuſpicionemque firmat Panvinius, qui Amplejo Præfecturam ſtatuit *Valentiniano III.*, *& Valente III. Coſſ.* ſub exitum anni 370. Cujus Legis teſtimonio Pagii ſententia de annuo Præfecturæ Urbanæ curſu non leviter infirmatur.

Ex Ammiano igitur, Gotthofredo, Panvinio, Tillemontio, Lidiato Præfectum habemus hoc anno 371 AMPLEJUM; cujus Præfecturam ſequenti etiam anno 372 durare adhuc teſtantur Leges Codicis ad eum miſſæ: quarum præcipua eſt L. 1. Lib. 6. Tit. 7. Cod. Theod.

Anno demum 373 denuo VOLUSIANUM Romæ Præfectum dicimus: Lidiato ſcilicet, & Halmelovvenio nec nominatum quidem. Conſonat Tillemontius Artic. XXVII. in Imp. Valentin., & Pagius in Criticâ Baronii anno 362, laudans Gothofredi ſententiam, quæ huic noſtræ adhæret: *Ille*, inquit, *ex variis conſtitutionibus ad Voluſianum P. V. datis anno 364 & 365, quo non Voluſianus, ſed Symmachus P. V. fuit, quaſque adeo ad annum 363 retrahendas recte videt, &c.* At ad Leges anno 364 datas quod attinet, jam ſatis, ni fallor, oſtenſum ſuperiùs fuit, has neutiquam ad annum 373 eſſe retrahendas: nam tunc etiam temporis Urbanam Præfecturam Voluſianus moderabatur.

Huc modo revocanda eſt Inſcriptio illa Voluſiani, cujus cauſâ hæc nos fuſiùs explicanda ſuſcepimus, quamque ſuperioribus licet paginis excriptam hîc denuo damus.

MA-

MAXIMO PRINCIPI
INDULGENTISSIMO
DOMINO VALENTI TRIUMFATORI
SEMPER AUGUSTO
C. CEJONIUS RUFIUS VOLUSIANUS
V. C. PRÆFECTUS URBI ITERUM
JUDEX SACRARUM COGNITIONUM
SERENITATI EJUS DICATUS.

Ut autem hujuſmodi lapis in alterâ Voluſiani Præfecturâ ad annum 373 inſculptus dicatur, nil aliud obſtare videtur, quàm *Tò Iterum* quod amphibologiæ loco poſitum aquam hærere facit legentibus, an ſcilicet Urbanæ Præfecturæ, ſeu ſacrarum cognitionum Magiſtratum reſpiciat. Vidimus tamen, & datâ operâ obſervavimus in alterâ Inſcriptione, *Voluſianum* quidem ſacrarum cognitionum jus bis tenuiſſe; at in hoc eodem Magiſtratu recenſendo uſum fuiſſe his verbis: JUDEX ITERUM SACRARUM COGNITIONUM, quæ extra omnem dubii aleam rem ponunt. Accedit quod licet in antiquioribus Inſcriptionibus *Iterum* quandoque Magiſtratum præcedat, rarius hoc quidem; cum frequentiſſime, imo tantum non ſemper, ſubſequatur: ut in ferè dicam innumerabilibus Grutherianis Inſcriptionibus videre datur. Nec facilè ſanæ mentis Homini perſuaſum erit eò Voluſiani adulationem perveniſſe, ut VALENTI noſtro, & *Valentiniano* Augg. ampliſſimos MAXIMI, MAGNIFICI, TRIUMPHATORIS, & EXTINCTORIS TYRUNNORUM Titulos tribueret in primâ ſuâ Præfecturâ

an-

anno 364, & ſtatim ſub initium Imperii eorundem, quod nullis adhuc rebus præclarè geſtis, nullâve victoriâ triumphiſque inſigniverant. En lapis apud Guillielmum Fleetvvod in ſuâ Sylloge Inſcriptionum antiquarum pag. 125.

EXTINCTORI TYRANNORUM
AC PUBLICÆ SECURITATIS AUCTORI
D. N. VALENTINIANO PERPETUO
AC FELICI SEMPER AUGUSTO
CEJONIUS RUFIUS ALBINUS VOL. V. C.
PRÆFECTUS URBI ITERUM
VICE SACRA JUD. D. N. M. Q. EJUS.

Et alius apud Grutherum pag. CCLXXXV. *6.*

VICTORIIS TRIUMFISQUE
MAGNIFICO
D. N. VALENTINIANO
INCLYTO PRINCIPI
SEMPER AUGUSTO
RUFIUS VOLUSIANUS
V. C. PRÆF.
URBI ITERUM
JUDEX SACRAR. COGNITIONUM
CLEMENTIÆ EJUS
DEDICATUS.

Quæ omnia ægrè admodum aptarentur Valentiniano in anno 364, optimè autem in anno 373; cum inter alia facinora ope etiam Comitis Theodoſii de Firmo de Maurorum Rege, vel de ejuſdem

dem Gentis Duce ampliſſima ſpolia reportaverat. Sanè vir Cl. Pagius allatæ modo Inſcriptioni adſcribit triumphum Valentiniani, & Gratiani Filii, quem Auſonius celebrat in Moſellam: quod & ejuſdem Auctoris Scholiaſtes obſervat.

Hæc verò preſſiùs conſideranti dubium ſurrepere poſſet, cur ſcilicet *Voluſianus* in Inſcriptione, quam anno 364 exaratam dixi, ſe ſacrarum Cognitionum Judicem ITERUM appellat; & in aliis Inſcriptionibus anni 373. dum ſuſcepti hujus Magiſtratus meminit, eum (ſi aliò reſpicit *Tò iterum*) nec *tertium*, nec *quartum* vocat. At forſan Voluſianus in anno 373 ſe ab judicio ſacrarum appellationum abdicarat: unde ei ſuffecerat exercitum olim munus memorare, nullâ habitâ ratione ſi pro ſecundâ vice idem ſuſtinuerat. Quod in priori Præfecturâ præſtiterat, quia eodem forte tunc temporis fruebatur.

Quibus diligenter perpenſis, jam pro certo ſtatuerem in his Voluſiani lapidibus, ſicuti & in priori, non primam, ſed alteram ejuſdem Præfecturam deſignari anno 373; quo tempore MAXIMI Titulum VALENTI dedit: quem idem Imperator vergente anno 369, & ineunte 370, cum victor, & Procopii, & Gothorum Conſtantinopolim rediit, laboribus pro Republicâ ſtrenuè exanthlatis, & Populo Romano partâ pace abundè meruerat. Et hanc eſſe ætatem Nummi, quem illuſtrandum ſuſcepimus arbitramur.

Poſtquam verò de *C. Cejonio Rufio Voluſiano* fuſiùs, quàm credideram, differendum fuit; non

F ina-

inanis operæ prætium futurum duxi, ſi nonnulla de ejuſdem Gente commentarer, quæ ad præclariſſimæ illi Fœminæ ALBINÆ, cui S. Auguſtinus librum de Gratiâ nuncupavit, Gentem, Parenteſque dignoſcendos lucem proferant. Id quod, & Eminentiſſimi Norſii, & Patris Macedo, & Reineſii, & Cl. Muratorii vigilias, & ſtudia jam diu meruit.

In nobiliſſimâ, & ſummis honoribus ſpectatâ RUFIORUM VOLUSIANORUM Familiâ in priſcis monumentis primus occurrit ille, teſte Reineſio in Append. Omiſſ. n. XXII, quem ſub MAXENTIO Auguſto Præfectum Prætorio fuiſſe, & victo Alexandro Phrigiæ Anti-Cæſare Africam recepiſſe tradit Zoſimus lib. 2. circa annum a Chriſto nato 309.

Poſt hunc recenſetur in Faſtis *C. Cejonius Rufius Voluſianus* Coſ. ſuffectus [ſi Reineſio fides] anno 311, & poſtea anno 314 cum Anniano Conſul ordinarius, & idem Præfectus Urbi an. 313, ut ex quodam Libello Præfectorum Urbi, ei ſæpiùs laudato, eruit Pagius. Ab illo pariter Voluſianus hic non Conſul ſuffectus, ut Reineſio placet, ſed ordinarius dicitur anno 311. menſe Septemb., unà cum Euſebio. Cujus præterea nomen, ſcilicet *Rufius Voluſianus*, malè ab Idacio in Faſtis diviſum, in duos diverſos Homines recuſum legitur: *Rufino*, videlicet, *&* *Voluſiano Coſſ.* Huic *Voluſiano*, quem *ſecundum* voco, pertinet Inſcriptio Grutheriana CCCLXXXVII. 5, in quâ dicitur CORRECTOR ITALIÆ PER ANNOS OCTO, PROCONSUL AFFRICÆ, COMES D. N.

D. N. CONSTANTINI M. P. F. V. et de eodem intelligit Reineſius lapidem Neapolitanum ex Capacio Lib. 1. Hiſtor. Neap. c. 9.

RUFIO VOLUSIANO
V. C.
CORRECTORI CAMPANIÆ.

Filium hujus eum *Cejonium Rufium Albinum Voluſianum* dico, qui anno 335 ordinarium Conſulem egit. Quâ in re non adſentior Reineſio, qui hunc *tertium* Voluſianum ſecundi Nepotem aſſerit, & eum eundem eſſe credit, qui anno 365 *Valentiniano, & Valente Augg.* Urbi Præfectus extitit. Meæ aſſertionis obſidem do lapidem hîc excribendum: quique a Gruthero, & Panvinio, & a Fleetvvodio relatus, accuratior, & emendatior legitur apud Scheleſtratum in Faſtis, & apud Mabillonium Tom. 4. Analect. pag. 494.

CEJONIUM RUFIUM ALBINUM V. C. COS. PHILOSOPHUM RUFII VOLUSIANI BIS ORDINARII COS. FILIUM SENATUS EX CONSULTO SUO QUOD EJUS LIBERIS POST CÆSARIANA TEMPORA IDEST POST ANNOS CCCLXXX ET I AUCTORITATEM DECREVIT FL. M. JANUARIUS V. C. CUR. STATUARUM.

Si annis 335 æræ vulgaris, cum Conſul Cejonius Rufius Albinus eſt renunciatus, annos

46 addas, quibus Cæſaris mors æram noſtram vulgarem præcedit, numerus annorum 381 in Inſcriptione notatus emerget.

Nullus dubito Inſcriptionem hunc Reineſium haud latuiſſe. At quia *ſecundum* Voluſianum non bis ordinarium Conſulem, ſed primo Conſulem ſuffectum fuiſſe ſibimet perſuaſerat, inde ortam ei rationem crediderim, cur *Rufium* hunc *Albinum*, qui ſe bis ordinarii Conſulis Filium dixit, ex altero Voluſiano ortum ſcriberet. At neque hunc, neque ex Voluſianis ullum tenuiſſe Urbis Præfecturam anno 365 ex his, quæ ſuperius annotata ſunt, ſatis conſtat.

Ex hujuſmodi porro Voluſiano, quem *tertium* dico, exiſtimat doctiſſimus Noriſius ortum ſuum duxiſſe *Voluſianum* illum, qui in anno 417 Præfectus Urbi a Faſtis, & Legibus inſcribitur, & cui Rutilius, ut ipſe opinabatur, ſuum illud celebre *Itinerarium* nuncupavit. At diutinum illud ſpatium 87 annorum, qui a Conſulatu Patris ad Filii Præfecturam debuiſſent excurrere, rem non adeo claram facit, ut de eâ dubitari nequeat. Inter utrumque ergo ſtatuendum cenſeo alterum *Voluſianum*, qui nobis in ordine *quartus* ſit, & illum, inquam, de cujus Præfecturâ ſuperiùs plura commentatus ſum, & cujus cauſâ huc ſuæ Gentis genealogiam ordimur. Non enim a vero longius ire putamus tertium Voluſianum anno 335. Conſulem, Filium habuiſſe in anno 364. eo ætatis provectum, ut Urbanam Præfecturam inire quiverit.

No-

Noſtro igitur *Volnſiano* ; ex tertio Voluſiano nato, & Cecinæ Lollianæ ejuſdem Uxori Filium damus *Voluſianum quintum* Aſiæ Vicarium anno 390, & Romæ Præfectum anno 417. Quod hujuſce Inſcriptionis ex Fleetvvodio teſtimonio firmatur.

D D. N N. VALENTINIANO ET GRATIANO . . . . . RATORIBUS SUIS . . . CEJONIUS RUFIUS VOLUSIANUS V. C. ET INLUSTRIS EX VICARIO ASIÆ ET CEJONII RUFII VOLUSIANI V. C. ET INLUSTRIS EX PRÆFECTO PRÆTORIO ET EX PRÆFECTO URBI ET CECINÆ LOLLIANÆ CLARISS. ET INL. FOEMINÆ DEÆ ISIDIS SACERDOTIS FILIUS ITERATO VIGINTI ANNIS EX PERCEPTIS TAUROBOLIIS VI ARAM CONSTITUIT ET CONSECRAVIT X KAL. JUN. D. N. VALENTINIANO AUG. ET NEOTERIO COSS.

Cum autem Valentiniani Junioris Aug. & Neoterii Conſulatus in anno 390 ſit ſtatuendus, & Gratianus neci datus fuerit anno 383, neceſſarium erit aſſerere, ut tempora congruant, Voluſianum hunc Aram erexiſſe ante annum 383, eamque anno 390 rite conſecraſſe.

Cæterum omnia, quæ hic leguntur, eò tendunt, ut *Voluſianum* iſtum *Voluſiani* noſtri Filium fuiſſe ſuadeant, cujus nomen, & initi Magiſtratus adamuſſim recenſentur, nec tempora diſcrepant.

pant. Non etenim obſtat, eum, qui in anno 390 alterum Taurobolium fecit, ſextamque Iſidis Aram ſacravit (hujuſmodi Sacrificium vigeſimo quoque anno, & tribus erectis Aris peragebatur) in anno poſtmodum 417 Urbanam Præfecturam ſuſcepiſſe. Potuerat quippe vigeſimo ætatis ſuæ anno Iſidis Sacerdos factus primum Taurobolium mactare, & anno 417 ætatis ſuæ 67 Præfecturam inire; ſummum propemodum Magiſtratum, & non niſi ſpectatis auctoritate, & prudentia viris demandandum.

Huic porro *Voluſiano* quinto inſcriptum puto Itinerarium Rutilii, & ejuſdem ſeu Filia, ſeu Soror cenſenda eſt *Rufia* illa *Voluſiana*, de quâ in præſenti Inſcriptione.

PETRONIUS APOLLODORUS V. C. PONTIFEX MAJOR (*ſic*) XV VIR SAC. FAC. PATER SACRORUM DEI INVICTI MITHRÆ TAUROBOLIO PERCEPTO UNA CUM RUFIA VOLUSIANA C. F. CONJUGE XVI KAL. JUL. D D. N. N. VALENTINIANO ET VALENTE III COSS. ARAM DICAVIT.

Sed jam ad maximum, ſummumque decus Voluſianæ Familiæ deveniendum eſt. Noſter ille *Voluſianus*, quem *quartum*, & Patrem Voluſiani quinti diximus, Filiam habuit *Albinam* S. Auguſtini ſcriptis ad eam Libris ſatis laudatam, cui nupſit Senioris Melaniæ Filius, quem Chiffletius

V. C.

V. C. è Societate Jeſu, neſcio quarum Tabularum auctoritate fretus [ut verbis utar Cl. Muratorii Anecdotor. Tom. 1. Diſſert. 4.] vocat Publicolam. Ex tam felici conjugio *S. Melania* Junior orta eſt; quæ Avunculum ſuum *Voluſianum quintum*, cum Legatus eſſet Conſtantinopoli, Chriſtianæ Religioni lucrata eſt, teſte Photio, & Auctor. Not. ad Epiſtol. 132 Auguſtini ultimæ edition. pag. 300.

Unde recudenda videtur Genealogia *Albinæ*, quem Eminentiſſ. Noriſius in Epiſtolâ ad P. Macedo, editâ in Append. Oper. Divi Auguſtini, Filiam dixerat Voluſiani tertii anno 335 Conſulis: & cui, ut ipſe ſibimet ſuaſerat vir doctus, Rutilius Itinerarium ſuum nuncupaverat. Cujus rei maximum forſan argumentum erant verſus Rutilii, quibus vocat Voluſianum ſuum Filium Albini.

Jamque aliis redeuntibus hæret eunti
Rufius Albini gloria viva Patris.

At plurimis in Voluſianorum Familiâ ceſſit *Albini* nomen, ipſeque Noriſius Voluſianum illum, qui in anno 417 Præfecturam Urbanam tenuit, vocat *C. Cejonium Rufium Albinum Voluſianum*. Et Rutilius cum dixit Voluſianum *vivam* eſſe *gloriam Albini Patris*, *Avi* forſan intellexit, quem vel metri causâ, vel quadam dicendi formulâ *Patrem* nuncupavit. Et is præ aliis ſignandus erat, utpote qui poſtremus in Voluſianorum Familiâ Conſulem egerat anno 335, Nepotibus proindè Poſſeriſque imitandus ſuſpiciendusque.

Ut

Ut autem iis, quæ dicta a me ſunt, lux major accedat, placet hîc Genealogicum Voluſianæ Familiæ Indicem apponere.

C. CEJONIUS RUFIUS VOLUSIANUS
Africæ Receptor An. 309.

C. CEJONIUS RUFIUS VOLUSIANUS
Biſ. Coſ. An. 311. & 314.

CEJONIUS RUFIUS ALBINUS VOLUSIANUS Coſ. An. 335.

C. CEJONIUS RUFIUS VOLUSIANUS
Præfectus Urbi An. 364. Iter. 373.

CEJONIUS RUFIUS VOLUSIANUS Præf. Urbi An. 417. S. MELANIÆ Avunculus.	ALBINA Piniani Ux. S. MELANIÆ Junioris Mater.

Pro coronide diſſertationis conjecturam pono, quam non majoris ducendam puto, quàm ea duci ſoleant, quæ in tenebricoſis oſcuriſque rebus anteactorum ſæculorum caligine obrutis verſantur. S. Hieronymus ad annum Abrahæ

2390

2390, qui initio Octobris anni à Chriſto nato 373 congruit, hæc ſcribit in editionibus caſtigatioribus *Meliana nobiliſſima Mulierum Romanarum, & Marcelli quondam Conſulis Filia* (quadam tamen dicendi ratione, nam Marcelli Neptis, non Filia fuit) *unico Prætori tunc Urbano Filio derelicto Hieroſolymam navigavit*. At ſi Melania anno 373 Româ diſceſſit, & Hieroſolymam ſolvit, parvo quidem negocio hariolari licet, cur Filium unicum Prætori Urbano tradiderit cuſtodiendum. Etenim in id tempus æternam Urbem regebat *Voluſianus* ille noſter Albinæ Pater, & ejuſdem Melaniæ Avus.

V. C. Pagius in Criticâ Baron. ad annum 372 totus eſt, ut Hieronymum in annis ſupputandis tranſverſum iviſſe probet: unde potiùs legum illarum, quas ille exhibet, obſervantiæ, quàm ad alicui conſanguinitatis vinculo tribuendam ducit cuſtodiam Pueri Urbano Præfecto commiſſam. At Sanctus Chronologus, ut & ipſe Pagius animadvertit, ſtatim poſt Melaniæ diſceſſum S. Ambroſii in Mediolanenſium Præſulem conſecrationem enarrat, quæ proculdubio evenit anno 374: indeque mortem Valentiniani Senioris, qui è vivis exceſſit anno 375. Hieronymo ergo ſeries annorum ſubſequentium recte computata eſt: cur non & præcedentis? Obſtant argumenta Pagii. Fateòr ea quidem ingenioſa eſſe, tantoque digna viro: neſcio tamen ſi talia ſint, qualia eſſe oporteret, ut ſacri, doctique Chronologi fidem infirmarent.

Et

Et hæc demum ſunt *Vir Excellentiſſime*, quæ de Nummo Aureo VALENTIS IMP., & ejuſdem occaſione de C. CEJONII RUFII VOLUSIANI Præfecturâ ac Gente differenda cenſui. Tu ea, qualiacumque demum ſint, æquo bonoque animo excipe: meque, ut facis, Tibi Tuoque Nomini devinctiſſimum ama.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

ALEXANDER

DE PODIO

Congreg. Clericor. Regul. Matris Dei

RECTOR GENERALIS.

OPuſculum cui titulus: *Diſſertatio de Nummo Aureo Valentis*, *&c.* ſcriptum a P. Sebaſtiano Pauli Noſtræ Congr. à noſtris Examinatoribus viſum, & approbatum imprimi poſſe concedimus, ſi alias iis, ad quos pertinet, &c.

Die 20. Septembris 1722.

EGO infraſcriptus juſſu Reverendiſs. Domini Joannis Baptiſtæ Sanctucci Nob. Lucenſ. Vic. Gen. Illuſtriſs., ac Reverendiſs. D. Geneſii Calco Epiſc. Lucenſis perlegi eruditiſſimum hoc, ac ſummo ſtudio elaboratum Opuſculum inſcriptum: *Diſſertatio de Nummo Aureo Valentis Imperat. &c.* à P. Sebaſtiano Pauli noſtræ Congregationis concinnatum, & cum nihil contra noſtram Catholicam Fidem, aut bonos mores contineat, prælo digniſſimum cenſeo ſi placuerit, &c. Cujus rei gratiâ præſentes feci in hac noſtrâ Domo Lucenſi Sanctæ Mariæ ad Cortem Orlandingam nuncupatæ, die, & anno ſupradictis.

Lodovicus Marracci Congr. Matris Dei Examinator Synodalis.

Imprimatur.

JO: BAPTISTA SANCTUCCIUS VIC. GEN.

PAULUS SINIBALDI ILL. OFFICII. SUPER JURISD. PRÆP.

BENEVOLE LECTOR.

ABerat Auctor a loco Editionis: unde quicquid leviùs in ea peccatum eſt oro ut ignoſcas; & graviora quædam, ut hîc inferiùs, emendes.

ERRATA			CORRIGE
Pag.10.	l.20.	Apollus	Apollos
13.	20.	ſe	ſed
16.	11.	Proſtrant	Proſtant
17.	26.	quos	quas
30.	9.	exhibetere	exhibere
34.	18.	ert	erit
	24.	exagitas	exagitatas
35.	28.	retrahendum	retrhaendam
37.	2.	hærenſiorem	hærentiorem
42.	3.	illi	illius
	31.	AFFRICÆ	AFRICÆ
44.	4.	hunc	hanc
	26.	huc	hanc
47.	11.	quem	quam
48.	29.	oſcuris	obſcuris
49.	18.	ad alicui	alicui